№ 544.24

THE TRUSTEES OF THE
PUBLIC LIBRARY
OMNIVM
LVX
CIVIVM
OF THE CITY OF
BOSTON
1852 1878

CAUTION

Do not write in this book or mark it with pen or pencil. Penalties are imposed by the Revised Laws of the Commonwealth of Massachusetts, Chapter 208, Section 83.

B.P.L. FORM NO. 609: 3.8.30: 500M.

GODOFR. CHRISTIANI FRIDERICI LÜCKII

ORATIO

DICTA

IN RENUNTIATIONE SOLENNI

DOCTORUM THEOLOGIAE

AB

ORDINE THEOLOGICO

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

INTER

SACRA ACADEMIAE SAECULARIA

CREANDORUM

D. XIX. SEPT. AN. MDCCCXXXVII.

PUBLIC LIBRARY OF THE CITY OF BOSTON
5441.24
5441. Jd

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXVIII.

PUBLIC LIBRARY OF THE CITY OF BOSTON

6769
in exch. for
~~66925~~
C. Mar. 24, 1865

Augustissimi Regis nostri Legati illustrissimi et excellentissimi! Serenissimi Ducis Nassoviensis Legate illustrissime! Splendidissimi Comites! Academiarum Germaniae Delegati carissimi! Huius Urbis, totius Regni, amicarumque Civitatium Proceres! Academiae nostrae Amici et Hospites!

Universitatis Prorector Magnifice! Illustris Regis Commissarie! Divinae humanaeque sapientiae Professores, Collegae coniunctissimi, Doctores ornatissimi!

Commilitones humanissimi et dilectissimi!

Auditores omnium Ordinum honoratissimi!

Solent antiquo more et exemplo Academiae, quoties solenniter iis vel sacra aliqua magnarum rerum memoria celebranda est vel suscipienda religio, ad augendam decorandamque solennitatem, honores, quos in singulis Ordinibus summos habent, in electissimos quosque et dignissimos viros conferre.

Cuius rei causam si quaesiveris, duplicem invenies. Atque altera quidem, quae manifestior est, in eo posita videtur, quod festiva laetitia naturali quodam iure poscit largitionibus optimorum bonorum exornari magnifice. Altera vero occultior quidem, sed gravior ac verior ea est, ut Universitates Literarum publico ac splendido testimonio declarent, Academiam, quae veri nominis sit, non arctis locorum ordinumque finibus circumscriptam contineri, sed liberalem ac vere universalem esse omnium virorum doctorum quibusvis in locis in quoque genere doctrinae et artis excellentium societatem atque consortionem. Et recte quidem. Nam una est veritas atque communis omnium veri rectique scientia et ars. Qua in re videntur Academiae quodammodo accedere ad similitudinem Ecclesiae Christianae, quae, licet sin-

gulis diversorum locorum coetibus vel ecclesiis distincta sit, quum tamen proprie una communi omnium vera religione contineatur, adspirat continuo ad efficiendam universam illam omnium Christianorum ubivis terrarum vitae veritatisque communitatem.

Itaque haec solennitas, quoniam non solum ab antiquitate, sed etiam ab ipsa ratione commendationem habere optimam videtur, possem, quod ab Ordine meo facere iussus sum, ad ea peragenda protinus transire, nisi me impediret aliquantisper et moraretur, quae multis Vestrum, Auditores, timeo ne inter dicendum allata sit, de ipsius rei veritate dubitatio.

Etenim haud ignoratis ipsi, Auditores, dudum exstitisse, qui academicorum honorum ac titulorum prae aliis postea inventis diminutam ac paene contemtam dignitatem auctoritatemque conquerantur. Neque immerito illi ex parte quidem.

Nam, ut de Theologici Ordinis antiquitate, nec ea ultima, singulatim dicam, quanta quaeso olim fuerunt Doctoris Theologiae tum in Ecclesia, tum in civili Republica iura, privilegia, quanti honores, dignatio et auctoritas quanta! Quorum hodie partim abolevit memoria. Nemini enim ante hos ipsos centum annos licebat, nisi rite creato solenniterque renuntiato Doctori Theologiae, e superiori, quam dicunt, cathedra Theologiam docere; neque in Ordinem Theologorum fas erat quemquam recipi praeter Doctorem Theologiae rite proclamatum. Qui vero summum Theologicae dignitatis gradum consecutus fuerat, ei ius concessum erat atque facultas, omnes sacrae sapientiae partes, ubicunque placeret, publice docendi, defendendi, explicandi. Et aequiparabantur summi in Theologia honores ad summos tum iu Ecclesia, tum in Republica titulos. Quae quum ita comparata esset Theologica dignitas, nemo mirabitur, iis, qui tam praeclaram rem appeterent, quo facilius indigni arcerentur et profani, praescriptam esse ad illam lauream perveniendi molestissimam viam, explorationum, exercitationum, disputationum, sumtuum denique omni genere velut consitam. In qua via si quis constanter perrexisset, optatamque contigisset metam, constantem virum coronavit renuntiationis publica antiquissimis ac splendidissimis caerimoniis ornata solennitas *).

Nunc vero quae sanctissima olim putabantur ac prorsus necessaria, eorum pars evanuit, pars debilitata fatiscit. Privilegia, iura Doctorum Theologiae verissima olim, nunc inania fere ac nulla! Remansit quidem honos ac dignitas, sed nemini fere necessaria. Ornat ea, non facit Theologum. Etenim, qui nunc Theologiam in Academiis docent, iis auctoritatem, munusque docendi, non Ordo, non Academia, sed sola Respublica Magistratusque civilis legitime decernit et confert. Sic se vorterunt tempora! —

---

*) Descripsit et explicavit hanc academicae antiquitatis partem iucundissime Moshemius in Sylloge commentationum et orationum academic. a Petro Millero collectarum, orat. V. quae est de veteri cursu theologico s. de exercitationibus et explorationibus doctoratus theologici Candidatorum, et Orat. VIII. de caerimoniis in creandis Theolog. Doctoribus.

Fugit neminem, qui historiam paulo accuratius cognitam habet, quibus modis et causis ea temporum facta sit conversio. Nimirum facta ea est abutentium culpa hominum; deinde vero etiam inevitabili fato, sive potius, necessaria quadam rerum humanarum ipso providente Deo commutandarum lege. De qua re nunc nec libet nec attinet explicatius dicere.

Nefas est, de mutatis temporibus irritas et inanes iacere querimonias; decet potius pie ac sapienter iis uti, quae Deus mutata esse voluit. Et vero, si accuratius rem perpendimus, habemus etiam nunc ex laudata illa antiquitate relictam eamque cum academica vitae institutione necessario coniunctam dignitatem Theologicam, de qua laetari nobis licet eo etiam magis, quod temporum beneficio a vetere quadam angustia sive potius turpi vinculo liberata, hac saltem parte nitentior facta est et verior. Dico autem hoc. Fuit olim summa Theologica dignitas cum Ecclesia per ipsa iura ac privilegia, quibus tum ornata erat, tam arcte copulata, ut nemini, nisi qui in symbola fidemque Ecclesiae sacramentum dixisset, fas esset summos Theologiae honores in eadem Ecclesia decerni. Ita Theologiam natura liberam illam atque universalem quum vicisset victamque vinculis suis sibi devinxisset Ecclesia, non universalis illa, quae omnino alma Theologiae mater est, sed particularis quaeque, factum est, ut Theologica dignitas, quae suam proprie ab universitate Ecclesiae atque a libertate scientiae laudem habet, arctioribus finibus imperiisque servitutem serviret haud satis iustam atque honestam. Etenim ea tum erat temporum conditio, ut, exempli causa, qui in Lutherana Ecclesia positi erant Theologorum Ordines, ii religioni haberent, Theologum vel Reformatae vel etiam Anglicanae Ecclesiae addictum, quamvis dignissimum ac celebratissimum, summis suis honoribus condecorare. Eadem fere severitate contra Lutheranos Reformati tum utebantur *). Restitit igitur amicae Theologorum in una veritate ac scientia conspirationi inimica Ecclesiarum sive symbolorum discrepantia. Divinavit vero tum in hac nostra Academia sapientissimus Moshemius Cancellarius, scripta de Anglo quodam creando Theologiae Doctore consultatione, quae in scriniis nostri Ordinis asservatur, fore olim, ut relaxatis iniquis Ecclesiarum Evangelicarum cancellis, depositisque odiis liberata dignitas Doctoris Theologiae ad universam Ecclesiam Evangelicam (nam de hac tantum loquor) **) pertineat, ita ut tamquam honorificum summae eruditionis Theologicae testimonium laudatissimis quibusque viris, quacunque in parte

---

*) Narratur tamen, sec. XVIII. ineunte a Reformatis Theologis, nescio in qua Universitate literarum, Lutheranum Theologiae Doctorem creatum esse. Sed hoc unicum exemplum et inauditum fuit, quod singulari libro publice redarguit Dav. Scultetus.

**) Vellem equidem, ut licuisset etiam de Romana Catholica Ecclesia magnificam illam vitae ac scientiae cum nostra communitatem praedicare. Nam tum demum vere libera ac plane universalis facta esset summa Theologica dignitas. Sed proh dolor! ad istam Ecclesiae felicitatem nondum maturuerunt tempora. Manet etiam nunc in Ecclesia Romana, manebitque, donec Deus ipse meliora dederit, optabilemque illam totius omnium terrarum Ecclesiae concordiam procuraverit, tanta de Theologia, eiusque causis finibusque a nostra ratione sententiarum discrepantia, ut, si iam nunc communem faceremus digni-

Ecclesiae Evangelicae collocati sint, ab Ordinibus Theologorum liberrimo iudicio exhibeatur*). Haec autem quam vera fuerit prudentissimi illius Cancellarii consultatio, comprobavit eventus, atque ipsa nostrae aetatis felicitas qua effectum est ut summi in Theologia honores, quan-

---

tatem Theologicam, videremur ipsam dignitatis veritatem prorsus tollere. Quamquam, ut dicam, quod sentio, si quis vellet Hugium, Hirscherum, utrumque illum Friburgensem, Dreyum Tubingensem, alios eiusdem generis in Romana Ecclesia praeclarissimos viros nostros nuncupare Theologiae Doctores, haberet is me consentientem lubenter ac merito. Sed haec rara sunt felicioris temporis olim futuri praesagia ac bona omina, nondum facta initia. Hoc tamen, quod dixi praesagiente animo, ipse omen accipio.

*) Juvat, hanc rem ex actis nostri Ordinis accuratius exponere, quam in ipsa oratione fieri iustis de causis potuit.

Versabatur anno MDCCXLIX Gottingae Anglus quidam, cui nomen erat Josua Barnesius, in Episcopali Ecclesia duorum coetuum Rector. Is, postquam ab Ordine Jureconsultorum Gottingensi praeter morem, nec tamen inaudito exemplo, unius iuris Ecclesiastici, non Utriusque Doctor creatus fuerat, homo ut videtur honorum academicorum cupidissimus, voluit etiam a nostro Theologorum Ordine Doctoris nomen honoremque secum in Angliam reportare. Quo capto consilio, quum ipse de successu rei diffideret, utebatur, ne quid offenderet, opera Vandenhoeckii, celebratissimi olim hujus Academiae bibliopolae, qui Feuerlinum, Ordinis tunc Decanum, gravem virum ae severum, de ea re adiit, quaestione haud sine cauta aliqua simulatione proposita, num per leges Theologici Ordinis fieri posset, ut Theologus Anglus, oblata Ordini Theologica dissertatione, et absens, nec iurato praescripto in Lutheranae symbola fidei iureiurando Theologiae Doctor crearetur. Respondit Feuerlinus, posse quidem in absentem aliquem Candidatum honores ab ordine conferri, ea tamen lege, ut scripta formula (Revers) testaretur, se fidem iuriiurando ab Ordine praescripto adstrinxisse. Hoc responso dato, quum nollet Anglus suum alienae fidei nomen dare, utrimque confecta res videbatur et abiecta. Rescivit vero eam rem, nescio quo modo, summus Munchhusius. Qui, quum esset perpetuus magnarum rerum pro salute huius Universitatis curator et auctor, tum vero inter alia, quibus tunc maxime Academiam augeri ornarique meditabatur, id imprimis egit, ut nostrae Academiae auctoritate atque utilissimo exemplo arctior liberaliorque Germanorum et Anglorum, quum omnium virorum doctorum, tum maxime Theologorum, conversatio existeret atque amica quaedam consortio. Itaque, quum Barnesium illum audiret ab Ordine propter ecclesiasticae fidei diversitatem repudiatum esse, id pro liberalitate sua atque magnanimitate aegre quidem tulit, attamen, quae singularis in eo erat prudentia et temperantia, noluit temerarie imperando necessariae Ordinis libertati eiusque statutis legibus, adeoque antiquis Ecclesiae moribus iniuriam facere. Iussit igitur humaniter Ordinem adscito Moshemio Cancellario accuratius eam rem perpendere, proposuitque ad deliberandum quaestionem hanc: Num sine ulla Evangelicae Ecclesiae offensione Ordinisque damno fieri posset, ut mutata vel relaxata paululum iurisiurandi formula honores Theologici etiam in Theologos Anglos vel Reformatos ab Ordine conferrentur? Tum Ordo quidem ipse, re multum deliberata, unanimi consensu statuit, id sine gravissimo Ordinis atque Ecclesiae periculo fieri nullo modo posse, scilicet cavendum esse Ordini, ne nimia facilitate in abominandi syncretismi crimen apud bonos omnes incurreret; in eaque sententia Ordo perstitit constanter. At Moshemius vero, quamvis antiquam illam ac prorsus necessariam Theologicae dignitatis cum ecclesiasticae fidei professione coniunctionem nollet ullo modo subvertere, mitiorem tamen pro suo ingenio ac quasi mediam sententiam vel potius divinationem invenit, secutus in ea re liberalioris Helmstadiensis Ordinis exemplum, qui Guilelmum Derhamum Anglum, celeberrimum Theologum, Doctorem Theologiae ante aliquot annos creaverat. — Hanc igitur sententiam scripta consultatione ita fere apud Ordinem exposuit:

Die Anfrage der Königlichen Regierung u. s. w. hat einige besondere Ursachen und ist daher meines Erachtens vorsichtig zu beantworten. Ich bin mit der theologischen Facultät darin vollkommen einig, daß ein Reformirter und insonderheit ein Engländer, zum theologischen Doctorat bei uns nicht könne zugelassen werden, wenn der in

tam externae dignitatis atque etiam utilitatis iacturam vi temporum fecerunt, tantum eadem vi temporum veritatis veraeque libertatis lucrum acciperent et incrementum. Quae cum

---

unserer Kirche eingeführte Begriff des theologischen Doctorats zum Grunde gelegt wird, wofern nicht die Facultät den Verdacht eines **Syncretismi** und einer Collusion mit den Reformirten auf sich laden will, der ihr sehr schädlich seyn könnte. Denn die Facultät erkennt diejenigen, die sie zu Doctoren erklärt, für Leute, die in dem Glauben der evangelischen Kirche gegründet sind, für ihre Mitbrüder, und giebt ihnen die Freiheit, sowohl hie, als anderswo, denjenigen Glauben, den sie hier bekannt haben, wieder zu lehren und vorzutragen. Das kann unmöglich bei einem Engländer und noch weniger bei einem andern Reformirten geschehen.

Die Frage wird also nur seyn: Ob man sich das theologische Doctorat nicht auf eine allgemeinere Weise vorstellen, den gewöhnlichen Begriff davon verändern und es auf diese Weise möglich machen könne, einem Engländer oder einem anderen Reformirten den Titel eines **Doctoris Theologiae** beizulegen? Daß dieses bey den Rechtsgelehrten unter uns geschehen sey, liegt am Tage, und das letzte Exempel beweiset es augenscheinlich. Man hat sowohl den Eid, als das Diplom verändert, um zu zeigen, daß man aus Herrn Josua Barnes keinen solchen **Doctorem Iuris** machen wolle, als die Deutschen sind, die hier **Doctores Iuris** werden. Können die Theologen sich hierin nach ihnen richten, oder können sie es nicht?

Wenn es geschehen soll, so muß das theologische Doctorat entweder bloß als eine Ehrenbezeugung oder als ein Ehrenname betrachtet werden, der demjenigen gar kein Recht zu den ordentlichen Folgen des theologischen Doctorats giebt, auch kein Zeugnis einer Übereinstimmung in dem Glauben und in der Lehre ist; oder es muß als ein **testimonium eruditionis theologicae** angesehen werden, daß wiederum die gewöhnlichen **effectus** des Doctorats nicht hat, und weder **licentiam docendi** giebt, noch den Glauben desjenigen, dem es ertheilt wird, billigt.

Daß das theologische Doctorat bloß als ein Ehrenname angesehen werde, der in sich nichts bedeutet und auch Ungeschickten kann ertheilt werden, scheint mir unstatthaft und weder der Ehre unserer Kirche und der theologischen Facultät, noch dem Zwecke des theologischen Doctorats gemäß zu seyn. Und diese Sach, wenn sie einmal eingeführt ist, möchte weiter gehen, als man sich es einbildet, und man könnte genöthigt werden, diesen Ehrennamen Leuten zu gönnen, die ihn nicht ehren.

Das andere, daß der Doctorname als ein bloßes **testimonium eruditionis theologicae** Jemanden, gegen dessen Stand und Ehre nichts erhebliches einzuwenden, **sine effectu** von der Facultät gegeben wird, scheint mir jedoch unmaaßgeblich nicht unmöglich zu seyn. Jedoch müßte ein solcher, dem dieses Zeugniß sollte ertheilt werden, einer Prüfung seiner theologischen Gelehrsamkeit sich unterwerfen, es wäre denn, daß er dieselbe durch Schriften sattsam bewiesen hätte. — Er müßte aber wenigstens bekennen, daß er die Lehre der Augsburgischen Confession und derselben Apologie als des Glaubensbuches der ganzen evangelischen Kirche annehme. Das Diplom müßte offenbar zeigen, daß ihm das Doctorat allein **propter eruditionem satis demonstratam ex consensu cum Augustana Confessione** nur verliehen worden, **sine iuribus illi connexis.** Auf diese Weise nun würde, meines Erachtens, allen üblen Folgen sattsam gewehret. Die ordentlichen Reformirten werden sich diesen Bedingungen nicht unterwerfen. Diese sind also von selbst ausgeschlossen. Unter den Engländern aber sind viele, die sich dazu verstehen werden; und das letzte wird eben so wenig Schwierigkeit bei den Theologen finden, als bei denen, die **Doctores Iuris** geworden sind.

Ich unterwerfe diese unvorgreiflichen Gedanken Ew. Hochwürden und der gesammten theologischen Facultät zur gefälligen Beurtheilung und Besserung, und nehme mir die Freiheit, bey Gelegenheit des Schreibens, womit Ew. Hochw. mich beehrt haben, zu erinnern:

1) daß von Hr. **Dr. Derham** (in Helmstädt) nicht die **subscriptio Corporis Iulii**, sondern **simpliciter Augustanae Confessionis** sey begehrt worden.
2) Daß die Presbyterianer und andere Nonconformisten, einige ausgenommen, ohne Einwendung zu **Oxford** und **Cambridge** zu **Doctoribus Theologiae** nach geschehener Subscription der 39 Artikel ernannt werden, und ihre übrigen Meinungen in keine Betrachtung kommen.

ita sint, non dubitamus, summos quos Ordo Theologorum habet honores, quamvis deciderit aliquid externi splendoris et gloriae, tamen etiam nunc veros dicere atque vere honorificos.

His praemissis, agite! nunc progrediamur ad peragendum id, cuius rei causa haec omnia solenniter instituta sunt.

In perpetuam igitur horum Sacrorum Saecularium memoriam Ordo Theologorum sedecim venerandis viris summos in Theologia honores unanimi consensu decrevit.

Sunt autem ii viri insignes laudibus, meritisque conspicui suo quisque loco, pars, eximia eruditione Theologica celebratissimi, alii in administrandis ecclesiasticis muneribus spectatissimi, alii non externa quidem conditione Theologi, sed Theologorum prorsus necessarii in disciplinis artibusque Theologiae vicinis et finitimis auxiliatores ac socii laudatissimi.

Proinde huius renuntiationis solennnia iamiam peragenda ut Vestro silentio ac favore et bonis verbis ominibusque prosequamini, humanissimis precibus a Vobis contendo.

Itaque quod felix faustumque sit atque Deus Optimus Maximus bene evenire Ecclesiae et communi Patriae iubeat,

Auspiciis sapientissimis felicissimisque et indulgentia Augustissimi et Potentissimi Principis ac Domini, Ernesti Augusti, Hannoverae Regis, Regii Principis Magnae Britanniae et Hiberniae, Ducis Cumbriae, Ducis Brunsvicensis et Luneburgensis, Rectoris Academiae suae Magnificentissimi, Domini nostri longe clementissimi,

Ex decreto Ordinis Theologorum in hac Universitate literarum,

Ego Godofredus Christianus Fridericus Lücke, Theologiae et Sacrarum Scripturarum Doctor et Professor publicus ordinarius, Ordinis Theologici h. t. Decanus atque in hac panegyri Promotor legitime constitutus, viros hosce summe venerandos:

Antonium Danielem Geuder, Augustissimo et Potentissimo Regi Bavariae a consiliis ecclesiasticis, Augustae Vindelicorum Dioeceseos Ecclesiasticae Anstititem, ad aedem S. Annae Pastorem primarium, Circuli Superioris Danubiani Scholarcham, Annaeani Alumnei Directorem;

Carolum Georgium Henricum Lentz, Philosophiae Doctorem, apud Halchterenses et Lindenses in Ducatu Brunsvicensi Pastorem;

---

3) Daß auch den Lutheranern das theologische Doctorat zu **Oxford** und zu **Cambridge**, wiewohl zu **Cambridge** leichter als zu **Oxford**, verwilligt wird.

4) Daß man sogar zu **Cambridge** kein Bedenken trägt, Lutherische Doctoren dem **Corpori Theologorum** zu aggregiren, oder doch, welches eins ist, dem **Corpori Magistrorum legentium.**

5) Das einige lutherische Kirchen in England und unter andern die Königliche Hofcapelle der Englischen Kirche einverleibt sind und die ordentliche bischöfliche Jurisdiction **salvo dissensu** erkennen.

Ich habe die Ehre u: s. w.

Götting. d. 9. August 1749.

Carolum Guilelmum Stein, Philosophiae Doctorem et Magistrum artium liberalium, Ecclesiae Niemeccensis in terris Brandenburgicis Pastorem primarium;

Hosce tres quidem viros oblatis Ordini doctissimis dissertationibus:

Deinde vero,

Christianum Ernestum Fridericum Bauer, Augustissimi ac Potentissimi Hannoverae Regis a consiliis ecclesiasticis, summum in Principatu Hildesiensi sacrorum Antistitem, Pastorem Ecclesiae Aulicensis primarium;

Theophilum Christianum Breiger, summum in Principatus Luneburgensis altera parte Sacrorum Anstititem, Pastorem Ecclesiae Harburgensis primarium;

Ernestum Ludovicum Cammann, Superintendentem et Pastorem Ecclesiae Cathedralis Verdensis primarium;

Georgium Guilelmum Freytag, Philosophiae Doctorem, in Academia Fridericia Guilelmia Rhenana Linguarum orientalium Professorem publicum ordinarium, Aquilae rubrae quarti ordinis Equitem,

Clamorem Adolphum Theodorum Kerksieg, Augustissimo ac Potentissimo Regi Hannoverae a sacris consiliis, Osnabrugae ad aedem S. Mariae Pastorem;

Carolum Lachmann, Philosophiae Doctorem, antiquarum linguarum et Germanicae in Universitate Literarum Berolinensi Professorem publicum ordinarium, eundem Regiae Academiae Scientiarum Berolinensis Socium ordinarium;

Fridericum Augustum Ludewig, Dioeceseos Helmstadiensis summum sacrorum Antistitem, Scholarum Ephorum, Helmstadii ad aedem S. Stephani Pastorem primarium;

Ioannem Andream Georgium Meyer, Superintendentem et Pastorem Ecclesiae Sarstedtiensis in Principatu Hildesiensi;

Christianum Guilelmum Niedner, Theologiae Licentiatum et in Academia Lipsiensi Professorem publicum ordinarium, Societatis Historicae Theologicae Lipsiensis Socium;

Victorem Fridericum Leberechtum Petri, Philosophiae Doctorem, Serenissimo Duci Brunsvicensi ab aulae consiliis, in Collegio Carolino Brunsvicensi Litterarum antiquarum Professorem, Ecclesiae Reformatorum Brunsvicensium Pastorem;

Iosephum Salamon, Transsylvanum, in Collegio Evangelicorum Reformatorum Claudiopolitano Theologiae et Historiae Ecclesiasticae Professorem publicum ordinarium et Paedagogarcham;

Franciscum Augustum Westphal, Abbatem Lutherae Regiae, Brunsvicensis Ecclesiae Cathedralis Pastorem, Seminarii Scholastici Directorem;

Guilelmum Ludovicum Wilhelmi, Serenissimi Ducis Nassoviensis in Senatu

Sacro a consiliis, Decanum Ordinis Ecclesiastici, Ecclesiae Wiesbadensis Pastorem primarium;

Hosce igitur ego venerandos atque excellentissimos viros honoris et observantiae causa Theologiae Doctores creo, creatos renuntio ea lege, ut quibuscunque uti, frui, quaecunque facere ius atque potestas est iis, qui in hac Academia legitime creati et renuntiati sunt Theologiae Doctores, ea omnia facere, eisque uti ac frui ius ipsis et potestas sit, in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti.

Dixi.

Boston Public Library
Central Library, Copley Square

Division of
Reference and Research Services

The Date Due Card in the pocket indicates the date on or before which this book should be returned to the Library.

Please do not remove cards from this pocket.